

TRINUM PERFECTUM
ABBATIS OPTIMI
HONORIBUS ONOMASTICIS
REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS
AC AMPLISSIMI
DOMINI DOMINI
JOANNIS
EVANGELISTÆ
Ad Quercum Superiorem
ABBATIS VIGILANTISSIMI
à
Subditorum Filiorum
DILECTISSIMO COETV
DVLCISSIMA CHARITATE
Oblatum.

PERSONÆ MUSICÆ.

JUPITER.

APOLLO.

PAN.

VESTA.



CHORUS DEORUM.



CHORUS DEORUM.

Adeste ! adeste !
Deorum sacra agmina,
Et Jovi ferte munera,
Hoc petit Reverentia
Amori vestro socia :

Adeste !

Apollo. Adsum alatō vectus Pegasō :
Quid mirum ? si alios praeo,
Jupiter Ipse mea olim excoluit studia,
Ergo jure præ aliis ego Ipsius hodie celebrabo solemnia

A R I A.

Patronus studiorum
Dum Jupiter stat,
Primitias amorum
Apollo jam dat,
Sic Jovis favores,
Et meos amores
Jugiter provocant,
Mutuò excitant.

- Pan. Fallor! an Apollo me cupit prævenire?
Duplicabo gressus, ut Illo citior queam Jovem adire.
- Apollo. Falleris, Amice optime! falleris,
Prævenire me jam non poteris.
Jam Musæ meæ Jovis decantant præconia,
Quia præ aliis mea Jupiter protegit studia.
- Pan. Et præ aliis me, meosque Jupiter diligit,
Quos regno inferiori excolendo Ipse constituit.

A R I A.

De terra quam aro,
Hæc munera paro:
Jovis nam pluvia
Altera est gratia.
Is ferit favores,
Ut metat amores.

- Apollo. Præ aliis Jupiter adamat me.
Frustra Tibi plaudis de majore
Jovis in Te amore.
- Pan. Imò si Tu hoc non credideris,
Te ipsum decipis.

D U.

D U E T T O.

Pan. Tu nil scis nisi canere :

Apollo. Tu jactas Te de munere.

Sunt munera

Aggressia :

Pan. Sunt carmina :

Fictitia.

Ambo. Cur mihi præfers Te?

Apollo. Tu nil es quām Ruricola

Pan. Tu macri Pindi incola.

Es tetricus

Scholasticus :

Apollo. Cum grebibu

Es Rusticus.

Ambo. Non eris major me.

Vesta. Quid Vos, ô boni! hic altercamini?

Frustra estis uterque :

Neuter enim à Jove mihi præferimini.

Me, me Jupiter adamat,

Et immensis favoribus usque ad delicias recreat.

Tuum est, Apollo irremissè studere,

Tuum, Pan, greges vaccarum mulgere,

At ego curam non aliam habeo,

Quām, qua sanctam amoris flammat perpetuo nutrio

A R I A.

Pro Jovis honore Apollo sudabit,

Pro commodo Jovis & Pan vigilabit:

At ego in Jovis amore quiesco,

Et inter Illius favores senesco :

Mihi non alia lata est lex.

Jupiter. Intellexi desuper, ô fida Capita!

Vestra de Mei amore certamina,

Et placuere vestra Mihi molimina:

Suscipio gratō animō,

Quæ mihi hodie parastis solemnia.

Sed prius necesse est causam vestram decidere:

Attendite,

O A R I A.

In vos omnes amor meus
Flamma pari urget se,
Neque unquam ero reus,
Quod non uni donem me.
Sic aequali vos amore
Hoc in corde foveo,
Et eadem sic favore
Unumquemque recreo.

Si hoc posset cor lustrari,
Affirmanti credite,
Videretis vos amari
Flamma semper perpetu.
Neque quid à vobis quæro,
Quam affectum mutuum:
A quo sic amatus ero,
Reddam ei centuplum.

Jupiter. At tempus est jam larvam ponere,
Ut omnibus pateat Veritas latens subfabulæ cortice,
Sub Jovis schemate veneramur hodie
Reverendissimum Präfulem
Illustrissimum Antistitem

JOANNEM EVANGELISTAM,

Cujus hodie Festa celebramus onomastica,
Quem Jovis ales scuti Abbatialis aquila
Præclarâ meritorum famâ
Evehit super Æthera.

Sub Apolline intelligimus protecta ab Ipso studia:
Sub Pane præsentatur adaucta sub Ipso Occonomiæ peritia:
Sub Vestâ denique nomine
Latet Disciplinæ Regularis ab Ipso promota observantia.
Æquali charitatis providentia
Huic Trino Perfecto se totam impendit
Abbatis optimi Vigilantia.
Cui iam precemur singuli tempora aurea
In Seculorum millia

Omnes. In millia.

CHO-

CHORUS A QUADRO

Omnes.

Nestorea

Et aurea

JOANNES vivat Sæcula.

Apollo.

Sub hoc Apolline

In pleno lumine

Splendebunt semper studia.

Vesta.

Sub hoc Antistite

In quovis apice

Custodietur Regula.

Pan.

Sub tanto Præsule

Res Oeconomicæ

Majori crescent copiâ.

Jupiter.

Sub Patris Nomine

Felici omine

Stet charitas perpetua.

Omnes.

Nestorea

Et aurea

JOANNES vivat Sæcula.

